Mandatum poenale ad Leop.

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Proconsuli et consulibus Civitatis nostrae Leopolien. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Sp[ecta]biles et Famati Fideles nobis dilecti. Iam ab aliquot annis agitantur coram Fid. v[est]rarum officio certo actiones inter Famatos Gabrielem et Joannem Bernatowicze et Zachariam Jwaskowicz à quatuor ferè annis in carceres violenter coniectum. Intercedebant in his causis decreta nostra, intercedebant et mandata etiam poenalia in multos tamen annos extracta lis est. Quoniam autem novissime decreta quoq[ue] nostra in eisdem causis (quae etiam multos exteros mercatores, quibus ij, qui inter se litigant, non exiguas summas debent, et concernunt) lata sunt, plerig[ue] etiam creditores toto fere triennio Leopoli cum summo suo detrimento finem expectant. Ideo Fid. v[est]ris serio mandamus, ut tandem aliquando extremam manum huic negocio imponant, neq[ue] diutius eas lites alant, decreta vero nostra posteriora diligenter et absq[ue] ulla cunctatione exequantur. Ita ut et ipsi litigantes, et eorum creditores nos molestandi nullam habeant occasionem. Pro gratia nostra officiorum suorum debito et sub poena decem millium aureorum Ungaricalium fisco nostro irremisibiliter succumben.

Aliud ad eosdem

Famatis Advocato, et scabinibus Armenis Civitatis nostrae Leopolien. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam Famati Fid. nobis dilecti. Intercedunt coram Judicio Fid. v[est]rar[um] certo actiones, diversa quidem, unum tamen ferè negotium concernen. Famatis Georgio et Zachariae Jwaskowiczom cum Famatis Gabriele Joanne et Bernardo Bernatkowicze olim Nicolai Bernatkowicz filijs necnon Georgio Ismarowicz occasione certorum calculorum ex factoratu praefatorum Georgij et Zachariae Jwaskowiczom emergen. quae quidem causae iam aliquoties in levissimis accessorijs per apellationes ad nos devolvebantur. Intercesserunt tandem novissime decreta nostra quibus Fid. v[est]ris

316